PRO REUER. PP. CLERICIS REGULARIBUS S. BARTHOLOMAEI. RESPONSUM...

Emanuel Rodriguez

SVMMARIVM.

1 Resoluitur quæstio.
2 Refertur forma dispositionis.
3 Hæreditas non defertur ab intestato, quādiu potest adiri ex testamento.
4 Admittuntur Clerici substituti, ex Vulgari directa verbis specialibus expræssa.
5 Verbum, instituo, est directū, & Verbum, substituo, est commune.
6 Si testator dicat, instituo, et substituo, substitutus censetur vocatus per vulgarem, & per fideicommissū & num 8.
7 Per vulgarem succeditur testatori.
8 Per fideicommissariam succeditur hæredi grauato, & num. 15.
9 In compendiosa facta à pagano per verbum, instituo, & substituo, an vnum verbum ponatur ad declarationem alterius?
10 An vero vtrumq; verbū suum operetur effectum, suo casu, & tēpore?
11 Substitutio à Pagano verbis directis concepta, si semel valeat directo, nūquā trahitur ad fideicōmissū.
12 Secus si copulatiuè adijciantur verbum, instituo, & verbū, substituo.
13 Verbū substituo, adiecta dictione, hæredes, efficitur directum.
14 Secus si adiūgatur verbum, instituo, & substituo.
15 Per fideicommissariam succeditur instituto.
16 Institutus per verba instituo, et substituo, simul, habet electionem succedendi, ex quo capite ei magis placuerit.
17 Costæ opinio reijcitur.
18 In compendiosa, maximè si fiat per verbum cōe, cōtinetur vulgaris.
19 Si vulgaris primo expreßa sit per testatorem, & aliæ substitutiones sub compendio exprimantur, vulgaris dicetur potius specialis substitutio, quā contenta in compēdiosa.
20 Aliæ contentæ in compendiosa dicentur expressæ verbis generalibus.
21 In dispositione de qua in præsēti, etiā continetur compendiosa.
22 An compendiosa sit species substitutionis?
23 Vt substitutio aut quælibet dispositio concepta sub conditione locum habeat, prius liquidari debet quod conditio sit impleta.
24 Potentia destinguitur ab actu.
25 Aliquando importat ipsum actum.
26 Substitutio vulgaris duo habet capita, voluntatis, & impotentiæ.
27 Et concepta in vnum casum, comprehendit alium.
28 Substitutio cōcepta in casum mortis filij, extenditur ad similes.
29 Ratio interpretandi vel supplendi est frequens in vltimis voluntatibus vt testamentum sustineatur.
30 Non solū in fideicōmissis, sed etiā in dispositionibus vniuersalibus.
31 In symbolisātibus facilior est trāsitus.

32 Substitutio concepta in vnum casũ, extenditur ad alium.

33 Pupillaris expræssa in vnum casum locum habet in casu ommisso contra matrem.

34 Dispositio facta in vnum casum porrigitur ad alium in quem disponẽs verisimiliter idem disposuisset, si de eo fuisset interrogatus.

35 Subsistente eadem ratione, casus non dicitur ommissus, sed habetur pro expraesso.

36 Substitutio facta in vnũ casũ trahitur ad alium quando ratio diuersitatis reddi non potest.

37 Nõ videtur ommissus casus, qui ex mente testatoris includitur.

38 Semper debet suppleri casus ommissus quando testator vnum expræssit credens verisimiliter alium nõ euenturum.

39 Declarantur l.cum auus ff. condit.et dem. & iura similia.

40 Nunquam procedunt in substitutione vulgari, vel quacunq; alia directa.

41 Iniuria est decedere ab intestato.

42 In vulgari facta à patre filio impuberi, continetur tacita pupillaris.

43 Charitas ordinata incipit à se ipso.

44 Fauor Ecclesiæ est fauor piæ causæ.

45 Fauore piæ causæ fit extensio de persona ad personam.

46 Facilius admittitur extensio de casu ad casum, quã de persona ad personam.

47 Substitutio non extenditur de casu ad casum, quando ex hoc sequitur magis dilectum excludi per substitutum minus dilectum.

48 Magis dilectus in dubio semper præfertur minus dilecto.

49 Requiritur tamen quod maior dilectio colligatur ex serie testamẽti.

50 Vnusquisq; filiorum in portione sibi relicta censetur magis dilectus.

51 Vnusquisq; potest hæreditatem sibi delatam repudiare.

52 Hæres legitimus, cui defertur ab intestato hæreditas, per repudiationem hæredis instituti, tenetur vtili actione ex illo titulo. ff. si quis ommissa causa testam.

53 Dolus præsumitur ex qualitate personarum.

54 An fiat extensio de casu ad casum in substitutione vulgari, quando testator dum exprimit vnum casũ, adijcit dictionem, tunc, vel eo casu: & num. 55.

56 Si testator dicat, tunc, & eo casu, propter dictiones geminatas non admittitur extensio.

57 Contrarium tamen iudicatũ fuit per Rotam.

ARGVMENTVM.

AN si filius, cui relicta est hæreditas per matrem, sub conditione, vt ipsius filij creditores nullo pacto possint se reualere in bonis, & hæreditate testatricis, repudiet hæreditatem, admitti debeant substituti, qui vocati fuerunt per verbum, instituo, & substituo?

An vero filia, quæ iuxta Statut. Bonon. impune potuit præteriri per matrem; admitti debeāt ab intestato?

Spiritus Sanctus viam veritatis aperiat.

SECVNDVM ea, quæ proponuntur, Clerici S. Bartholomæi vocati Per Illustrem Dominam Eleonorā post Illustrem Dominum Alamanum eius & Illustris Domini Annibalis de Lilio filiū legitimū, & naturalem, absquè du
1 bio † veniunt admittendi ad hæreditatem defunctæ, quam Alamanum primo loco scriptum hæredem repudiasse proponitur, in fauorem sororis, quæ eam possidet ab intestato.

Cuius resolutionis veritas vt clarius elucescat supponendum est de fa-
2 cto, † quod in præsenti casu institutio facta fuit cū hac conditione, *quod quicunq. Creditores Alamani hæredis instituti, ex quauis ratione, vel causa, etiā sub quauis obligatione; Camerali, vel alio quocunque vinculo habentes obligatum dictum Alamanum, et eius bona præsentia & futura, non possent se reualere in bonis & hæreditate dicta Testatricis, nec illius fructibus, & redditibus, etiam pro quauis minima parte, minusquè impedire dictum Alamanum, eius hæredem, vt illis vti possit, & frui, & de illis liberè velle suum disponere.*

Et in euentum, in quem de iure, vel ex decreto, & ordinatione Principis, & cuiuscunq. Superioris liceret dd. Creditoribus habere accessum, & regressum ad bona hæreditaria dicta Testatricis, ex nunc prout ex tunc, & è contra, solū iure institutionis, ac aliàs omni &c. dicta Testatrix reliquit dicto Alamano scuta decem pro omni eo, & toto quod in eius bonis, & hæreditate petere possit.

Et tali in casu, in omnibus suis bonis mobilibus, & immobilibus rebus, iuribus, & actionibus, tam præsētibus, quā futuris suos hæredes vniuersales instituit, & substituit d. Alamano Reuerendos Patres Clericos Regulares, vulgo nuncupatos, li Tiatini, *commorantes in Ecclesia S. Bartholomæi de Porta, quos grauauit ad præstandum alimenta, victus, & vestitus dicto Alamano, durante illius vita naturali tantū, & non vltra, arbitrio dictorum Reuerendorū Clericorum, de quorum integritate, & fidelitate valde confissa fuit.*

3 Hoc supposito, cum † hæreditas ab intestato non deferatur, quandiù potest adiri ex testamento *l. quamdiu 89. ff. de regul. iur. l. quamdiu 39. cum similibus ff. de acquir. hæred.* Certum est quod prædicti Clerici admitti debeāt
4 ad hæreditatem, de qua agitur, † vt potè vocati ex substitutione vulgari directa, verbis specialibus expressa per Testatricem in dicta dispositione ibi *suos hæredes vniuersales instituit, & substituit dicto Alamano Reuerendos patres Clericos Regulares &c.*

Constat etenim, quod quando Testator in suo testamento post factā institutionem hæredis, substitutionē facit per duo verba diuersa simul, collata in personam vnius eiusdemq; substituti, verbi gratia, per verbum, *instituo,*

5 † quod

5 † quod est directum, & per verbu m, *substituo*, quod est cõmune *Bart. in l. centurio nu.15.& 16. & 47. quem ibi omnes sequũtur ff.de vulgar.Sforz.Odd. in tractat.compẽdios.partic.4.q.2.art.1.num.20.super verba instituo, & super verbo, substituo,Couaru.in c.Rainucius §.9 num.4.Intrigliol.de subst.centur.3.q.11.à princip.& q.21.nu.2.* Veluti si dicat Testator, *Instituo, & Substituo Titium*, verbum, *Instituo*, intelligitur directò, & verbum, *Substituo*, intelligitur obliquè, idest per fideicom-
6 missum, ita vt sit sensus, † quod substitutus isto casu p verbũ illud, *instituo*, sit vocatus p vulgarẽ expressã, si vide-
7 licet hæreditas adita nõ sit, † quo casu substitutus dicitur succedere ipsi Testatori, & in eius bonis *l.1.vers.1.ff de vulg.§.1.Instit.de vulgar. text. melior in §.1.instit.de pupill.ibi, quo casu si quidem non extiterit hæres filius, tũc substitutus patri sit hæres.Gom.1.tom.c.3. nu.14 vers.3.infertur.* Per verbum autem *substituo*, sit vocatus obliquè, idest per fideicommissum, casu quo hæreditas adita sit, † quo casu succeditur
8 hæredi grauato *l.1.& per totum ff. ad trebellia.§ 1.& §.restituta Instit.de fideicom.hæredit.Gomez.1.tom.c.5.nu.1.* & bene intendunt dicta verba Testatricis ibi, *& substituit dicto Alamano.*

Hæc est celebris doctrina *Bart. in l. recusare §. titius num.3. ff. ad trebell. quã maximè comendant Dec.cons.227. num.5.Sforti Odd.in dicto tractat. compendios.partic.4.q.2.art.1.num.20.super verbo substituo, vers. qua admissa plures refert,& sequitur Intrigliol.vbi supra.q.35.num.5.*

Ex quibus resultat, quod licèt ali-
9 qui crediderint, † quod quando compendiosa facta est à Pagano per prædicta verba diuersa *instituo,& substituo,* vnum verbum ponitur ad declarationem alterius,& quod verbũ illud, *instituo*, tanquam potentius, & dignius totam substitutionem regulare cæteri debeat, vt tenuit *Polit.in tract.de vulgar.in mat.compendios.num.44.* Tamẽ contraria sententia verissima, & rece-
10 ptissima est, † quod.s.in casu proposito vtrunq; verbum suum debeat operari effectum, suo casu, & tempore, vt tradunt. *Bart.in d.l. centurio num. 38. vers. vel melius vbi Alex.nu.95. Imol. num.24.col.ante penult. Ias. num. 59. Galeaul.qui dicit comunem num. 480. Aret.num.16.Rip num. 170. Soz. Iun. num.3.& 8.Bald.Zaz Bero & plures, quos refert,& sequitur Sforti.Odd vbi supra particul.5.sub cap. de compẽdios. facta à Pagano art.4.num 7. Corneus. in l.precibus num.124.C.de impub. & alijs,* qui omnes ex eo potissimum mouentur, quia verba semper debent aliquid operari *l. si quando ff. de legat. 1.* & pro eis est *text.capitalis in mat.in d. l.recusare 6.§.Titius ff.ad trebellea.*

11 Sic in simili videmus, q licèt aliàs † substitutio à Pagano verbis directis concepta, si semel valeat directò, iuxta magis receptam Doctorum sententiam, nunquam trahitur ad fideicommissum *Glos.in l.verbis ciuilibus, & in l.in pupillari ff. de vulgar. Bolognet. in d.l.centurio num.159.& nu.163.vers. quare resoluendum Menoch. cons. 496. num.2.vol.5.plures refert & sequitur.*
12 *Intrigliol.d.q.11.nu 8.* Si tamen † copulatiuè adijciantur verbum directũ, & verbum obliquum, veluti *instituo,& substituo Titium*, substitutio, licet semel valeat tanquam directa, posteà tamen trahitur ad fideicommissum *Sforti.Odd.in d.cap.de compedios.facta à Pagano art.1 num.52.Intrigliol.d.q.11. num.56.& 57.Menoch.lib.4 præsump. 55.num.25.*

Nec prædictis obstabit dicere, q cum Testatrix in casu præsenti, vtẽdo verbo illo, *substituo*, quod de sui natu-

ra eſt cõmune, vt ſupra, adijceret dictionem illam, *hæredes*, vt patet ex verbis dicti Teſtamenti, ibi *hæredes vniuerſales inſtituit, & ſubſtituit &c.* potius dicendum videtur, quod prædicta ſubſtitutio ſemper erit directa, & nũquam obliqua, ſeu fideicommiſſaria, cum iuxta cõmunẽ
13 Doctorum ſententiam ſi † verbo, ſubſtituo, adiungatur dictio illa, *hæredes*, vi illius dictionis adiectæ, efficitur directum, vt in terminis notant *Bald in d.l. preci-bus num.43. Ang. Iaſ. Rip. & alijeq quos ſequitur Intrigliol. d.q.35. num.6 Gabriel. conſ.130. num.5. & 6. vol.1. & conſ. 124. num.34. vol.2. Sforti. Odd. in d. cap. de compedios. fact. à Paga art.4. num.7. verſ. ego puto. Cæphal. conſ.303. num.16. vol. 3. & conſ.312. num.46. eod. vol. & conſ. 339. num.34. vol.2.*

Reſpondetur enim primo quod ea doctrina procedit & DD. ſupra citati loquuntur quando verbo (ſubſtituo) de per ſe adiungitur dictio, *hæredes*, ſecus vero ſi adijciatur, & præcedat verbum, *inſti-*
14 *tuo*, vt in caſu noſtro; tunc enim † neceſſarium eſt quod vnumquodque verbum ſuum effectum operetur iuxta vulgatam regulam text. in *d. l. ſi quando notat. Sforti. Odd. in d. verſ. ego puto.*

Secundò & magis in ſpecie reſpondetur quod DD. ſupra citati loquũtur caſu quo teſtator dixiſſet *ſubſtituo Titium hæredem, vel hæredem meum*, tunc enim benè verum eſt, quod verbum illud, *hæres*, quod eſt directum, determinat verbum illud, *ſubſtituo*, At vero in caſu præſenti Teſtatrix non adiecit verbum illud, *hæredem meum*, immo è contrario dixit, *ſuos hæredes vniuerſales inſtituit, & ſubſtituit d. Alamano Reuerendos Patres Clericos &c.* Planè ſuppoſito, quod iam adiecerat verbũ illud, *inſtituo*, quo ſibi vocauit ſubſtitutum per vulgarem expręſsã, vt ſupra, iam per illud verbũ, *ſubſtituit dicto Alamano*, clarè ſignificauit ſe velle etiam facere ſubſtitutionem, fideicom-
15 miſſariam, per quam certum eſt quod † ſucceditur hæredi inſtituto *d.l. 1. & per totum ff. ad trebell. d. §. 1. & §. reſtituta inſtit. de fideicom. hæred.*

Immò & illud notabiliter aſſerendum eſt, quod ſi Alamanus primo loco hæres
16 inſtitutus, viuus reperiretur, † eſſet in electione Clericorum, qui directo, & per fideicommiſſum inſtituti, & ſubſtituti fuerunt, vt ſupra, ſuccedere ex quo capite eiſdem magis placeret, vt in noſtris terminis, quibus facta eſt ſubſtitutio ſimul per prædicta verba diuerſa, *inſtituo, & ſubſtituo*, docent notabiliter *Bart. in d.l. centurio num.38. verſ. & tunc erit in electione iuncto verſ. idem in q. & ibi Alex. num.95. & ſeq. Imol. num.24. Alciat. nu. 203. Rip. num. 171. & Galiaul. num.485. Idem Bart. in d.l. recuſare §. titius nu. 1. vbi Angel. & Alex. num.1 & Paul. nu. 3. Corneus in d.l. precibus num. 124. Sforti. Odd. qui plura refert. d. art.4. nu. 7. verſ. ſecunda inſpectio eſt, notabiliter Natt. cõſ. 395. num. 3. & iudicando ſequitur Guid. Pap. deciſ.532. num. 2. Gomez qui plures citat, & dicit receptiſſimam ſententiã 1.*
17 *tom. c.3. num. 7.* quicquid † repugnet *Coſt. in cap. ſi pater 3. part. verbo obliqua nu.9. poſt Cuman, & alios, quos citat*, vbi licèt fateatur noſtram, & Bart. ſententiã cõmunius receptã eſſe, contendit tamen, quod immò in prædicto caſu vnaquæq; ſubſtitutio ita debeat habere locum ſuo caſu, & tempore, quod prædicta electio locum habere non poſſit, Verius enim eſt, quod licet vnaquæquè ſubſtitutio in ſuo caſu, & tempore locum habeat, vt ſupra, id tamen non tollit, quod ſi concurrant ſimul vulgaris, & fideicõmiſſaria, ſi primo loco inſtitutus noluerit eſſe hæres; ſubſtitutus habebit dictam electionẽ, & inſtitutus cogi poterit adire iuxta vulgatam regulam *legis quia poterat l. recuſare. l. non quod §. qui compulſus ff. ad trebell.*

trebell. Gomez. 1. tom. c. 5. num. 3. in terminis notat Sforti. Odd d. num. 7. vers ego distinguo; Et benè probat *text. in d. l. recusare §. titius, & text in l. si quis seruo ff. de manumiss. testam*. Et facit etiam ratio, quia aliàs superflua esset appositio illius verbi, *instituo*, cum verbum, *substituo*, cũ sit cõmune, à se ipso vnamquamquè substitutionem suo tempore induxisset.

Et certè prædicta sententia cõmunis absquè dubio procedit vbi vulgaris concurrit cum fideicõmissaria, si institutus non vult esse hæres iuxta decis. *text. in dicto §. titius notat Sforti. Odd. d. nu. 7, vers. ego distinguo.*

Verum cum Alamanus iam decesisse proponatur, nec iam agi possit de fideicõmissaria, quæ tunc solum poterat habere locum, quando hæres sponte, vel coactus adiret hæreditatem, iam certum est quod prædicti Clerici veniunt admittendi ad hæreditatem, de qua agitur tãquam vocati ex substitutione vulgari directa verbis specialibus exprçssa, vt diximus supra in princip. num. 4.

Quod quidem vlterius ex eò manifestissimè probatur, quia licet alias certum
18 sit, quod † in substitutione compendiosa, maximè si facta sit per verbum cõmunè, vt hic, contineatur vulgaris iuxta celebrem doctrinam *Bart. in d. l. centurio num. 32. recept. comuniter, vt per Aquilinum ibi 4. par. num. 209. & nu. 6. Alex. num. 70. Ias. Galeaul. Soccin. & alij; quos sequitur Intrigliol. d. cent. 3. q. 22. nu 10. & seqq & q. 23. num 12. Sforti. Odd dicta particul. 5. q. 1. art. 1. in princip. & d. cap. de compendios. fact. à Pagan. art. 3. num. 1. Couar. in c. Rainucius §. 9. nu. 17. Gomez. 1. tom c. 3. nu. 12. Menoch. lib. 4. præsump. 53 num. 1. Peregrin. qui plures citat de fi-*
19 *deic. art 34. nu. 16.* Si tamẽ † substitutio vulgaris primo expressa sit ꝑ Testatorẽ, & aliæ sub compendio exprimantur, vulgaris potius dicetur specialis, & indiuidua substitutio, quam contenta in compẽ
20 diosa, Aliæ verò, † quæ in compendiosa continentur iuxta sui naturam dicentur expresæ verbis generalibus, vt in specie docet *Bart. in l. Lucius nu. 19. ff. de vulg. vbi Alex. num. 13. Ias. num. 28. & Rip. nu. 40. explicat Peregr. d. art. 34. nu. 13. et post Gomez. 1. tom. c. 7. nu. 3. Dec. Alex. & alios quos allegat, Sforti. Odd. qui etiam plures citat dicta particul. 5. q. 2. principali nu. 1. & 6.*

Illud autem adnotandũ est, quod licèt Testatrix vocauerit prædictos Clericos per substitutionem vulgarem directam,
21 exprçssam verbis specialibus, non† tamẽ ideò minus dicendum est in prædicta sua dispositione contineri substitutionẽ cõpẽdiosam, quam testatricem à principio facere voluisse dicendũ est, est enim substitutio compendiosa; substitutio, quæ sub conditione mortis, vel alia multa cõplectitur tempora *Bart. in l. centurio nu. 9. ff. de vulg. Aquilin. qui plures citat ibidẽ 4 par. nu. 1. Intrigliol. dicta cent. 3. q. 1. nu. 1. vbi plures refert, & numeris seqq & latè explicat singula verba prædicta definitionis Peregr. d art. 34. num. 2. & seqq. Gomez d. cap. 7. num. 1. Menoch. lib. 4. præsump. 51. num 2.*

22 Et licet talis substitutio † vulgo reputetur species substitutionis de per se subsistens, tam quoad formam, quam quoad effectum vt tenent plures, quos sequitur *Intrigliol. d q. 1. Graß. in §. substitutio q. 58. ad finẽ Sforti. Odd. vbi sup. particul. 3. art. 1. & 2. Polit. de vulg. in tract. de compendios. num. 2.* Verius tamen est, quod substitutio compendiosa, saltem effectu, nõ est species substitutionis de per se separata ab alijs, sed tantumodo adiectio quædam continens sub se plures substitutionum species quatenus personis, & rebus conueniat, ita vt sit apta compræhendere vulgarem ante aditam, pupillarem, exemplarem, fideicõmissariam, &

demum omnes alias, quæ secũdum qualitatem personæ facientis, & recipientis fieri possunt *Sforti. Odd. dicta particul. 3. art. 2. nu. 2. & particul. 5. q. 1. Intrigliol, d. cent. 3. q. 3. nu. 6. in specie Peregr. d. art. 34. num. 15. & art. 15. num. 1.* vbi elegãter notat, quod licet compendiosa aptitudine contineat sub se plures species, actu tamen in vnam resoluitur, & de ea iudicatur prout casus obtulerit *Menoch. lib. 4. præsump. 51. nu. 19. & præsump. 54. num. 11. Intrigliol. dicta cent. 3. q. 23. per totam maximè nu. 12. Gomez. d. c. 7. nu. 2.* Vndè cum in casu præsenti Testatrix primo instituisset filium Alamanum, & postea per verba generalia substituisset dictos Clericos tam directo, quam per fideicommissum, in euentum quo Creditoribus Alamani liceret habere accessum, & regressum ad bona hæreditaria eiusdẽ Testatricis, & sic plures substitutiones in sua dispositione contineantur, licet postea in vnam tantum resoluãtur, iuxta casus contingentiam, non desinet esse compendiosa iuxta supradicta.

Scimus tamen quod *Curt. Rip. & Couar. quos refert Menoch. d. præsump. 51. num. 17.* contendunt hanc non esse compendiosam substitutionem, sed solũ vulgarem, aptã tamen vt sit fideicõmissaria.

Verum, quicquid sit, iam aduersus omnia supra resoluta, illud maximè videtur obstare, quod prædicti Clerici, tunc & solum vocati censentur à Testatrice, quando Alamanus filius hęres institutus à Creditoribus molestiam pateretur, itaut deueniri posset ad bona ipsius Testatricis, vt patet ex verbis testamenti, ibi *& in euentum, quem de iure, vel ex decreto &c.* iuncto vers. sequenti ibi *Et tali in casu suos hæredes vniuersales instituit, et substituit dicto Alamano &c.* Planè cũ substitutio, aut quælibet alia dispositio con-
23 cepta est sub conditione, † vt locum habeat prius in iudicio liquidari debet, ꝙ fit conditio impleta *Bald. in l. si quidem col. vlt. per text. ibi verbo conditionem extitisse C. de exceptio. Dec. quem sequitur Peregr. de fideicom. art. 15. num. 6. & art. 46. num. 9.* In casu autem præsenti prædicta conditio non euenit, sed euanuit, cum Alamanus hæres primo loco institutus, cum repudiauerit hæreditatem, nullam à Creditoribus molestiam passus fuerit; ergo Clerici videntur repellendi.

Hoc tamen non obstante, Clerici, vt diximus, veniunt admittendi, vt potè vocati per substitutionẽ vulgarẽ directam, verbis specialibus expręssã, vt supra nu. 4.

Vt autẽ tollatur prædicta difficultas meminisse oportet, quod testatrix, quæ prædictam conditionẽ in sua dispositione adiecit; vt patet ibi *cum hac tamen cõditione, quod quicũq; Creditores &c.* dubia fortasse de validitate ipsius, volens sibi prouidere in euentũ, in quem de iure, vel ex decreto, & ordinatione Principis dictis Creditoribus liceret habere accessum, & regressum ad sua bona hæreditaria, prædictum filiũ Alamanum instituit in scutis decem, & in tali casu in omnibus suis bonis suos hæredes vniuersales instituit, & substituit dicto Alamano prædictos Clericos, vt supra.

Per quę quidem verba negari non potest, quod testatrix considerauit duplicẽ casum, quo, si, non obstante prædicta cõditione, & prohibitione, de qua supra, de iure, vel ex decreto, vel ordinatione Principis, licitum esset Creditoribus habere accessum, & regressum ad sua bona hæreditaria, eorumquè fructus, & redditus, itaut Alamano nõ liceret illis vti, & frui, & de illis libere velle suum disponere, voluit prædictos Clericos admitti ad suam hæreditatem.

Primus casus fuit ante aditam hæreditatem per Alamanum, quo casu testatrix instituit, seu substituit vulgariter dictos Clericos, quos voluit sibi esse hæredes

iuxta verbum illud, instituit, adiunctum verbo, substituit, quod quidem importat substitutionem vulgarem, & sic tempus ante aditam hæreditatē, vt notant *Bart. Dec. Sfort. Intrigliol. & alij de quibus supra num. 8. vers. hac est.*

Secundus casus fuit post aditam hęreditatem per Alamanū, & huic prouidit testatrix per illud verbum, quo vsa fuit ibi, *substituo dicto Alamano &c.*, quod quidem importat substitutionem fideicommissariam, per quam certum est, ꝙ succeditur hæredi, qui hæreditatem adiuisse proponitur *d. §. 1. d. §. restituta instit. de fideicom. hæredit.* cum similibus, de quibus supra num. 8. Ac proindè negari nō potest, testatricem per illa verba, quę important & substitutionem vulgarem, & fideicōmissariam, disposuisse in vtrūq; casum ante, & post aditam hæreditatē;

Nec prædictis obstat, ꝙ in primo casu ante hæreditatem aditam, non verificātur molestiæ creditorum factæ Alamano in bonis ipsius testatricis, cum creditoribus, nunquam posset esse locus molestandi Alamanum super bonis, & hæreditate testatricis, interim dum illius hæreditas adita non erat, iuxta vulgatam regulam *textus in l. cum hæredes ibi, adita hæreditate, ff. de acquir poss.* quam quidē molestiam testatrix visa est requirere quasi in vim conditionis vt Clerici ad eius hæreditatem admitterentur.

Primò enim aduertere, oportet, quod testatrix, quando vocauit Clericos, non se restrinxit ad casum, quo realiter, & cum effectu molestia facta esset Alamano per Creditores, sed potius cousiderauit casum, quo Creditoribus licitum esset habere accessū, & regressum ad bona hęreditaria, & sic resultare posset ꝑdicta molestia, vt patet ex verbis testamenti ibi, *& in euentum, in quem de iure, vel ex decreto & ordinatione Principis, & cuiuscunquè superioris, liceret dictis Creditoribus habere accessum, & regressum ad bona hæreditaria.*

Expendimus verbum illud, *liceret*, ꝙ
24 quidem † importat potentiam, distinctam, & separatam ab ipso actu, & necessitate agendi *vt est text. optimus in l. non quicquid ff. de iudic. ibi non quicquid Iudicis potestati permittitur, id subijcitur iuris necessitati*, ac proindè compręhendit omne tempus, siuè non aditæ, siue aditæ hæreditatis iuxtà notata *in l. stipulatio ista habere licere 38 ff. de verb. iunctis ijs, quæ Bart. in l. Is potest num. 12. ff. de acquir. hæredit.* vbi prosequitur triplicem potentiam succedēdi, de qua ibidē nu. 3. facit text. *in l. nomina ff. de hæred. vel actio. vendit. l. spem C. de donat.* Et in nostro casu pariter, imò & proprius verbum, *liceret*, verificatur ante molestiam factam, quam post cum, facta iam molestia potius dicetur resultare actus ex po-
25 tentia, licèt aliquando † potentia importet, & significet idē, quod ipse actus ad notata *in l. 1. ibi ex quo hæres existere poterit vbi glos. verbo alio testamento ff. de iniust. rupt.* Cautè igitur disposuit testatrix, proprièquè locuta fuisse censenda est, dum intelligens, quod filius Alamanus poterat, vel timore creditorum, vel alia de causa hęreditatem non adire, vulgariter sibi instituit dictos Clericos per verbum illud directū, *instituit*, quod quidem benè conuenit illi verbo, *liceret*, vt sic prouideret illū casum, quo aliquo pacto de iure, vel ex decreto, & ordinatione Principis liceret, & permissum esset Creditoribus habere accessum, & regressum ad bona ipsius testatricis.

Secundò & facilius respondendū est, quod, licèt prædicta substitutio vulgaris aperte cōcepta proponatur in vnum tātumodo casū impotentiæ, videlicet quia testatrix expręssit solùm illū casum, quo Alamanus non posset esse hæres, nec sibi habere emolumentum hæreditatis, quia vel

vel de iure, vel ex decreto, & ordinatio-
ne Principis & cuiuscunquè superioris li
ceret Creditoribus habere accessum, &
regressum ad bona hæreditaria dictæ te-
statricis, nominatimquè in tali casu tan-
tumodo prędictos Clericos suos hęredes
vniuersales vocauerit, adhuc certissimũ
est, quod compræhenditur casus nolunta
tis, seù repudiationis, de quo in præsen-
26 ti, est enim receptissima iuris regula, † q̃
substitutio vulgaris, quæ si simpliciter cõ
cipiatur, de sui natura duo habet capita,
scilicet noluntatis, & impotentiæ *l. 1. vbi
Bart. nu. 13. ff. de vulgar. l. cum proponas
C. de hared. instituend. §. 1. Instit. de vul-
27 gar. Gomez. 1. tom. cap. 3. nu. 10. & 14.* † si
cõcepta sit in casũ impotentiæ, vel è con-
tra, ex iuris dispositione compræhendit
alium casum, quamuis diuersum, & con-
trarium, vt est communis cum *Bart. in d.
l. 1. nu. 14. vbi Rip. num. 89. dicit communẽ
ff. de vulgar. Idem Bart. in. l. pater seueri-
nam nu. 2. ff. de cond. & demonstr. Gomez.
d. cap. 3. num. 10. in princip. vbi* apertè do
cet ex vulgari concepta in casum impo-
tentiæ admittendũ esse substitutũ, si insti
tutus repudiet, & bene comprobat ibidẽ
in vers. confirmatur vbi plures citat *Sfor-
ti. Odd. in tractat. compendios: in prælud. q.
3. num. 9. Dec. cons. 416. nu. 9. Ang. Corne.
Socin. Cranet. Bero. & alij, quos sequitur
Peregrinus de fideicomiss. art. 34. num. 17.*
vbi in nostris terminis refert Rot. Aue-
nionen. circa casum elegantem de vulga
ri contenta in compendiosa concepta in
vnum casum, vt scilicet ad alium dissimi-
lem, vel contrarium proferatur.

Pro qua cõmuni, & verissima sẽtẽtia,
vltra alia de quibus DD. supra citati, est
text. exprẹssus, si recte expendatur, *in l.
Gallus §. & quid si tantum, iuncto princi-
28 pio eiusdem legis. ff. de liber. & posth.* vbi †
substitutio posthumi concepta in casum
mortis filij, extenditur ad casus similes,
quibus filius suus hæres esse desijsset te-
statori, per deportationem, vel emancipa
tionem ipsius filij, ne aliàs testamentum
posthumi agnatione rumpatur, vt post
*glos. ibi verbo emancipatus, notat Paulus
in princip.* Idq; vel interpretando volun-
tatem defuncti, vt habetur in *d. §. & quid
si tantum*, vel supplendo, vel extendẽdo
vt habetur *in eadem l. Gallus §. etiamsi à
parente, ibi quos supplendos &c.*

29 Quæ quidẽ † ratio interprętandi, vel
supplendi frequẽtissima est in vltimis vo
lũtatibus, vt testamẽtũ sustineatur. *l. si ita
scriptũ l. Titius 25. §. Luc. ff. liber. et posth.*
vel aliàs ex coniecturata mente defuncti,
præcipuèq; in conditionibus *l. in ijs 16.
l. in conditionibus ff. de condit. & demõstr.
l. vnum ex familia §. fin. ff. de legat. 2. cum
alijs, de quibus Cost. in d. §. & quid si tan-
tum 5. part. à princip. Molin. de primogen.
lib. 1. cap. 4. nu. 19. Gomez. d. nu. 10. vers.
confirmatur.*

30 Idq; nõ † solũ in fideicõmissis, sed etiã
in dispositionibus vniuersalibus, vt *in l. iã
hoc iure ff. de vulg. d. l. cũ proponas l. final.
C. de hared. instit. l. 3. C. de inoff. testam.
l. fin. C. de posthu. hared. institu. & in nota-
bili casu notat Mantic. de coniect. lib. 11.
tit. 3. num. 19.* vt scilicet substitutio vul-
garis exprẹssa in vnum casum, quãdo sci-
licet hẹres institutus filios non habuerit,
extendi debeat ad alium casum, quando
scilicet filios habuerit, & ipsi hæredes nõ
extiterint.

Et licet *Rip. in d. l. 1. nu. 89. ff. de vulg.
notet text. in d. §. & quid si tantum*, solũ-
modò probare, casum mortis, & sic im-
potentiæ, extendi ad alios casus impotẽ-
tiæ, & quod indè inferri non potest, casũ
impotentiæ extendi ad casum diuersum
noluntatis, de quo in præsenti, quia scili-
31 cet † in Symbolisãtibus facilior est trãsi-
tus *l. in rem 4. §. item quacunque ff. de rei
vẽdi. cap. 1. de Sacra vnct.* Tamẽ replica-
tur, rationem *textus in d. §. & quid si tan-
tum* ex eo pẽdere, quia in casu proposito

idem effectus resultat ex morte filij, vel ex deportatione, vel emancipatione ipsius §.*posthumorum instit.de exhaeredat.liber*, quae quidem ratio euincit in substitutione admittendã esse extensionẽ de casu impotentiae ad casum noluntatis, quia ex vtroq; idẽ effectus resultat respectu substitutionis *d.l.cum proponas C.de haeredib. instituen.*& videtur expressum *in l final. C.de instit.et substit.secundum Bart. intellectum, quem text. ad id allegat Peregr.d.art. 34.nu. 17.* per quae iura receptissima
32 est omniũ conclusio substitutionem † cõceptam in vnum casum extendi ad aliũ similem, vt notãt *Bart.Rip.& alij de quibus.Couar.in cap.Rainucius §. 4. num.5. Alciat. lib.3. de verb.signific.num.26.*

Optimũ casum in materia, inter alios, adducit *Gomez.d.cap.3.nu.10.vers.tertio infero*, quod scilicet si testator instituat Titium haeredem,& ei substituat Sempronium, casu, quo Titius tempore mortis testatoris non viuat, si tamen haeres superuiuat testatori & repudiet haereditatẽ, vel ex alia causa non sit haeres, substitutus debeat admitti ità *Roma.consf.56.* quem refert,& seqtur *Ias.in l.1.nu.25.ff.de vulg.*

Conducit maximè, quia, licet alias certum sit, quod pupillaris substitutio ex cõiectura legis contra matrem non admittitur *d.l.precibus C. de impub.& alijs*, ta-
33 men † si fuerit expressa in vnũ casum, locum habet etiã in casu omisso, quia verisimile est testatorem voluisse matrem non minus excludi in casu omisso, quã in expresso *Bart. in l.2.nu.33.ff.de vulgar.Mãtic.de coniect.lib. 2.tit.17.nu.20.*

Facit etiam in confirmationem generalis regula, quod † dispositio facta in
34 vnum casum, porrigitur ad alium, in quẽ disponens verisimiliter idem disposuisset, si de eo fuisset interrogatus, ita vt id pro expresso habeatur, quantũuis expressum non sit iuxta doctrinã celebris *glos. final. ad finem in l. tale pactũ 41. §.fin.ff. de pact.* ad quod allegari solet decisio *text.in d.l.Titius 25.§. Lucius, ibi rectè factam videri ff.de liber.& posth.* comendãt *Coст.in cap.si pater 1.par.verbo si absquè liberis nu.15.Tiraquel. in l.si vnquã in princip.ex nu.55.Peralt.in l si quis in principio nu.151.vers.tertius casus ff. de leg.3. Gomez.1.tom.cap.3.nu.10.vers.confirmatur.et in l.4.taur.nu.7.citati ab Alphano Collecta.169.Molin.de primogen. lib.1.ca. 13.nu.90.Prat.de interprat.vltim.volũt. lib.3.interprat.3.dub.4.concl 1. ad finem, latissimè Mantic.qui plures refert de coniect.lib.3.tit.19.num.4.*

Negari autem non potest, quod testatrix, quae filium Alamanum primo loco instituit haeredem, & praedictos Clericos substituit in forma, de qua supra, si fuisset interrogata, an vellet, quod Clerici succederent in casu noluntatis, & repudiationis factae per Alamanum, absq; dubio idem disposuisset, quod disposuit in casu impotentiae, quem expressit, cum eadem ratio vtrobiq; reperiatur, ideq; effectus ex vtroq; resultet, respectu substitutio-
35 nis, vt supra, ac proinde † subsistente eadem ratione, potiùs dicendũ est hunc casum non fuisse omissum à testatore, imò potius haberi pro expresso *Cranet. consf. 62.nu.14.& consf.130.nu. 7.& consf.vlt. nu.9.vol.2.& consf.623.nu.24 & sequentibus Decian.consf.28.nu.23.lib.2. Mãtic. de coniect.lib.3.titulo 19.nu. 4. ad finem.*
36 Et substitutio † facta in vno casu trahitur ad alium, quando ratio diuersitatis reddi non potest *Grat.consf.132. nu. 1.& seqq.vol.2.Mãtic.de coniect.lib.6.tit. 14. num.11.& est text.optimus in materia in l si quis haeredem ad finem C.de instit.&
37 substit.* Nec videtur † omissus casus, qui ex mente testatoris includitur, & ex coniecturis datur intelligi *Parisf.consf.75.nu. 38.& consf.77.in fine, & consf.90 num.41. lib.2.Mantic.de coniect.lib.3.tit.19.num. 15.ante finem.*

In

In casu aût præsenti manifesta ratio
est, quod casus repudiationis ommissus
ideo suppleri debet, quia testatrix verosi
militer credere nō potuit, filium Alama
num, cui nihil supererat ad viuendum, hę
reditatem repudiaturum, ac proinde iam
succedit receptissima illa Doctorum sen-
38 tentia, quæ habet, quod semper † debet
suppleri casus ommissus, quando testator
vnū exprēssit credens verisimiliter aliū
non esse euenturum *l. mulier in princ. ff.*
ad Treb. Bart. quē refert & sequitur *Man*
tic. de coniect. lib. 3. titulo 19. nu. 16.

Facit quod testatrix satis mentem suā declarasse censetur, dum solicita de salute filij Alamani ipsum hęredem instituit, cui primo & principaliter hæreditatem suā voluit acquiri, & quod ipse eius bonis, & hæreditate oīno frueretur, nullūq; ei per aliquem impedimentū poneretur, quominus de ea ad libitum disponeret, vt patet ex verbis testamēti ibi *minusq; impedire Alamanum eius hæredem, vt illis vti posset. et frui, et de illis liberè velle suum disponere* &c. per quę quidem verba certū est nullū fideicōmissū inductū fuisse, sed solūmodò ex illis deducitur enixa, & solicita volūtas matris erga filiū, quem desiderabat frui eius hæreditate iuxta celebrem decisionem *tex. in l. cum. pater* §. *mando ff. de leg. 2.*

Quod si hoc fieri nō posset, tunc secūdo loco voluit, ꝙ in defectū primę institutionis, per quā bona insolidū filio Alamano acquirenda erāt, eius hæreditas quasi diuideretur inter p̄dictos Clericos, quos vniuersales instituit hæredes, & inter eūdem filiū Alamanū, quem instituit in scutis decem, grauādo simul prædictos Clericos, ꝙ illi præstarent alimenta victus. & vestitus omnib. diebus vitæ suæ, vt patet ex forma p̄dictę institutionis, de qua sup.

Quā dispositionem sic ordinauit testatrix sine eo, quod vllā fecisset mentionē filiæ, quā tempore testamenti præsentem habebat, & quæ modò prædictā hæreditatem prętendit ab intestato, non solū cō
tra dispositionē ipsius testatricis, de qua
supra, sed etiā aduersus iuris regulas, se-
39 cundum quas tunc, & solum † in fauorem
liberorum cessat substitutio facta per te-
statorem, quando supersunt liberi, qui na
ti nō erant tempore testamenti, secus ve
rò si testator eos agnoscat habere, vt cla
re colligitur ex decisione text. celebris ī
l. cum anus ff. de condit. & demonstr. ibi liberorum ex eis procreandorū &c l. generaliter §. *cū autē C. de institut. & subst. ibi non est verisimile patrem si de nepotib. cogitauerit talē fecisse substitutionē* &c. ꝙ verba, & plura alia in dictis iuribus ad futurū, & non præsens tempus referuntur, idq; ex defectu cogitationis ex quadam iuris præsūptione, & nō per fictionem, vt eleganter aduertit *Costa in d. cap. si pater 1. par. verbo si absq; liberis nu. 4. & nu. 9. notant Tiraq. qui plures refert, in l. si vnquā in princip. nu. 63. & verbo filios nō habēs nu. 18. C. de reuocand. donat. Gomez 1. tom. cap. 5. nu. 36. Mātic. de Coniect. lib. 6. tit 11, nu. 29. & est optimus text. in d. l. si vnquam ibi, filios non habens, & ibi susceperit liberos.*

Vndè cum in casu præsenti filia, quæ nunc prætendit hæreditatem iā nata esset tempore testamenti, & nihilominus testatrix eā prætriuit, & prædictos Clericos vocauit, dubium non est, quod illi veniunt admittendi iuxta exprēssam dispositionem ipsius testatricis.

Imò & cū in præsenti agatur de sub-
stitutione vulgari directa, etiāsi tempore
testamenti filia nata non esset, adhuc cer-
tū est, ꝙ Clerici substituti venirēt admit
tendi, nec locū habere posset prędicta p̄-
sūptio, iuxta quā testator propriā sobo-
lem alienæ videtur prætulisse, de qua in
40 *d. l. cum anus, & in d.* §. *cum autē,* ea †. n.
solūmodò p̄cedit in substitutione fidei-
cōmissaria, nō aût in vulgari, nec in qua-
cūq; alia directa, vt ē cōmunis ex *Accurs.*
in d. §. *cum autem verbo substituit, quē ibi*
sequi-

*sequitur Alberic.Graß.in §.fideicõmissum q.29.dicit cõmunẽ Dec.cõs.416.nu.5.Soc.Iun.cons.100.nu.3.lib.1.& cons.228.nu.59.*vbi id certissimũ,& indubitabile profitetur *Gabr.lib.4.cõmun.concl.2.nu.57.Mantic.de coniect.lib.10.tit.8.à nu.1.*vbi eam elegantem præstat rationem differentiæ, quod.s. in vulgari si filius à patre hæres institutus repudiet, substituto hæreditas deferetur iuxta text. *in l.cum hæreditate 55.ff.de acquir.hæred.*ac proindè à fortiori in casu præsenti nullo pacto audietur filia testatricis iam nata tempore testamenti contra exprẹssam matris dispositionem,de qua supra.

Facit, quod prædicti Clerici prætendunt hæreditatem ex vi substitutionis vulgaris,de qua supra,quæ quidem inuẽta fuit ne facile testatores decederent in-
41 testati: † cum id eorum maxima iniuria reputetur iuxta *text.in §.licet instit.quibus ex caus.manum.nõ licet.Curt.Iun.ĩ rubr.nu.23.C.de impuber.Corras.lib.1.miscelar.c.2.num.3.*& ideò nil mirum si de casu impotentiæ exprẹsso per testatricem fiat extensio ad casum noluntatis,& repudiationis,de quo hic.

Pro quo illud maximè facit quod si testator, qui substitutionem vulgarem facit pro filio impubere,voluit,vt defficien-
42 te hẹrede ipsi filio, illi prouisum esset † per tacitam pupillarem in vulgari cõtentã, iuxta decisionẽ text. *in l.iam hoc iure ff.de vulgar.* à fortiori idem voluisse sibi credendum est,vt.s. defficiente sibi hærede,fiat extensio à casu impotentiæ ad ca-
43 sum noluntatis,cum † ordinata charitas naturæ à se ipso incipiat *l.præses C.de seruit.& aqu.cõmunis vt per Sforti.Odd.in tractat.compendios.parti.2.q.3.nu.7.& parti.5.q.1.art.1.num.7.*

Illud etiam non parum iuuat in materia, q̃ cũ in præsenti agatur de substitutione facta in fauorem Ecclesiæ, iam cõ-
44 stat † quod agitur de substitutione facta in fauorem piæ causæ,*cap.requisisti §.secus autem de testam.Innoc.& alij in cap.relatũ eod.tit. Tiraq. qui plures refert de pia causa priuil.114.*vbi autem datur fa-
45 uor piæ causę,fit extensio de persona ad personam *Mantic.de coniect.lib.3.tit.19.nu.10.*ergo à fortiori fiet extẽsio de casu
46 ad casum,cum ea † sĩn omnium sententiã facilius admittatur *Mantic.de coniect.lib.6.tit.14.nu.22.Crauet.cons.130.num.7.*

Nec prędictis obstabit dicere, quod filia, qua talis,saltem respectu Clericorũ, dicitur magis dilecta, ac proindè iã videtur succedere illa receptissima conclusio
47 in materia,quod.s. † substitutio non extenditur de vno casu ad alium, quãdo ex hoc sequitur magis dilectum per testatorem excludi per substitutũ minus dilectũ *Anchar.cons.356.nu.5.Soc.in l.1.nu.14.vers.4.limita ff.de vulgar.vbi Ias.nu.31.Alciat.nu.55.glos.Bart.& Ias.in.l.si mater §.fin.nu.5 ff.de vulgar.& in.l.cũ proponas.nu.7.C.de hæredib instit.Alex.cõs.1.nu.9.lib.1.Gozzad.cons.29.nu.11.asseris receptũ Soc.Iun.cons.106.nu.17.lib.1.*
48 Et in dubio † semper magis dilectus præfertur minus dilecto iuxta ea, quæ *Mantic.de coniect.lib.3.tit.19.num.9.& lib.11.tit.3.nu.13.vers.fin.*

Respõdetur.n.q̃ ad hoc vt hæc maior dilectio attendatur,inter alia, quæ requi-
49 runtur,illud est principale, † quod dicta maior dilectio colligatur ex serie testamenti,& ex eis,quæ in eo disposita reperiũtur, itaut persona illa,quę,vt magis dilecta intendit excludere substitutum, vel sit instituta,vel saltem posita in conditione *Alex.cons.139.nu.5.ad finẽ lib.6.Rui.cons.151.nu.28.lib.3.Bald.cõs.271.vers.aut fideicõmissaria lib.3.plures refert, & sequitur Mantic.de coniect.lib.11.tit.5.nu.19.ad finẽ Bart.Rip.Ias.& alij quos refert,& sequitur Sforti.Odd.in tract.compendios.part.2.in prælud.q.3.vers.limitatur secundo Decia. qui alios refert cons.1.num.129.lib.2.*

Facit quod etiam quãdo pater plures filios

filios sibi instituit hæredes, vnusquisque
50 eorum † respectu portionis sibi relictæ magis dilectus censetur, iuxta ea, quæ *Conar. pract. cap. 38. nu. 11. Tiraq. qui plures refert in l. si vnquā verbo donatione largitus nu. 294. & de primogen. q. 49. nu. 41. Graff. in § fideicōmissū q. 21. nu. 3. Mātic. de cōiect. lib. 10. tit. 7. nu. 2. Costa. in d. verbo si absq; liberis nu. 1. Gabr. lib. 4. cōmun. tit. de fideicom. concl. 2. nu. 11.* qui omnes resoluūt quod in specie *d. l. cū auus*, etiāsi pater vnū filiū alteri substituat, séper intelligitur tacita conditio, *si primus filius hæres institutus decedat sine liberis*, id què ex eo quia respectu portionis eidem primo filio relicta, quē pater sibi elegit successorem, omnes alios descendentes prætermittens, non solum ipse filius institutus, censetur magis dilectus, sed & nepos ex eo descēdens, cū eūdē amorē, quē ad talē designatū successorem habuit, dū eū ꝑtulit alteri filio substituto, ꝑsumatur in Nepotes ex illo ꝓcreādos cōtinuare notat *Mātio. de cōiect. lib. 6. tit. 11. nu. 8.*

Si ergo hoc ita obseruatur, etiam casu, quo vterq; filius instituitur, ita vt semper vnusquisq; respectu suæ portionis magis dilectus censeatur, ad hoc vt alius ad illā nullo modo admittatur, à fortiori, idē dicendum erit in nostro casu, in quo filia q̃ nūc prætendit hæreditatem ab intestato prçterita fuit, & quasi neglecta à matre, q̃ eā nec primo, nec secundo loco vocauit, imò apertè disposuit, ꝙ primo loco filius Alamanus insolidum, & secundo loco idem filius, & dicti Clerici ei succederent iuxta formam, de qua supra.

Nec etiā obstabit dicere quod supradicta procederent planè, si in casu nostro ageretur de admittendo Alamano aduersus sororem, quæ ab intestato prætendit hæreditatem; At verò cum ipse Alamanus eā sibi delatā spontè repudiasse pro-
51 ponatur (quod de iure † potuit efficere iuxtà doctrinā *Bart. in l. is potest nu. 12. ff. de acquir. hæred.* quē omnes sequūtur, vt per *Paris. ibidem nu. 28.*) nec ei vlla cēseatur facta iniuria, Clerici qui in vno tātum casu impotentiæ vocati fuerunt, vt supra, non videntur admittendi aduersus filiam, cui non solum ex dispositione legis ab intestato, & quasi ex tacita dispositione ipsius matris debetur hçreditas iuxta regulam *l. conficiuntur in princip. vers. quoniā, ff. iure codicil.* sed etiam ex ipsius Alamani voluntate, qui fortasse in fauorem sororis repudiauit hæreditatem.

Respondetur. n. quod cum Clerici secūdo loco instituti sint per testatricem simul cum Alamano, vt supra, eius repudiatio nihil potuit operari in fauorem sororis, q̃ testatrix apertè noluit esse hæredē, imo portio hçreditatis per eū repudiatæ debuit accrescere Clericis cohçredibus institutis & secūdo loco vocatis cū eodē Alamano, iuxta vulgatā regulā l. Vnicæ C. qñ non petent. part. cum similibus de quibus Gom. 1. tom. cap. 10. num. 22. ac per consequens in hoc casu locum habere non potest regula *text. in d. l. conficiūtur*, q̃ solū modò ꝓcedit, qñ testator nihil disponit, vt patet ex littera ipsius.

Imò etsi ex Alamani repudiatione aliquod ius sorori acquireretur (ꝙ certū est acquisitum non esse) iuxta bene funda
52 tā iuris rationē dicendū esset, quod † soror, quæ nūc possidet, teneretur Clericis hæreditatē restituere vtili actione ex illo titulo ff. si quis omiss. caus. testam. vt benè colligitur ex *text. in l. 1. §. fin. & l. si quis pecuniam 4. ff. illo tit & vtrobiq; notant Bald. & scribentes*. Maximè cū prçdicta renūciatio apertā rationē fraudis ex eo cōtinere videatur, ꝙ Alamanus sine causa tā opulentā neglexerit hæreditatē, ex
53 quo q̃dē, & † ex qualitate personarū inter fratres, vt potè ꝑsonas adeò suspectas dolus, & fraus facilè ꝑsumitur iuxtà ea, q̃ *Mascard. de ꝓbat. cōcl. 531. nu. 143. et seq.*

Tādē nec illud aduersus Clericos q̃ aliquā facit, ꝙ licèt regulariter in substitutione vulgari fiat, & admitti debeat ex

sio de casu impotẽtiæ ad casũ nolũtatis iuxta supra latè resoluta, id tñ limitari
54 solet, qñ † testator, dũ exprimit vnũ casũ vulgaris, adijcit dictionẽ, *tunc*, veluti si dicat, *si titius hæres esse non potuerit, tũc, & eo casu*, sit hæres Sempronius, nã cum testator vtendo illa dictione, *tunc*, se ipsũ restrinxerit ad casũ impotentiæ, extẽsio fieri nõ debet ad aliũ casũ noluntatis nõ expręssum, vt in terminis notãt *Anchar. cons. 356. nu. 3 & seq. Decia. cõs. 2. nu. 70. & nu. 24. lib. 2.* Vndè cũ testatrix in casu præsenti postquã expręssit, ꝙ *in euentũ, quo Creditoribus Alamani liceret habere accessum, et regressum ad bona hæreditaria, Alamano iure institutionis relinquebat scuta decẽ*, simul adiecit, ꝙ *in tali casu in omnibus suis bonis suos hæredes instituebat, et substituebat d. Alamano prædictos Clericos* &c. dicendũ videbatur, ꝙ per illã dictionẽ, *& in tali casu*, ità se restrinxisse visa est ad pręedictum casum impotentię, quod in alio noluntatis dictos Clericos minime admitti voluerit.

Non, inquã, id quidquã facit aduersus dictos Clericos; Respõdetur .n. facilè, qđ
55 imò verissimũ est, quod † stante etiam illa dictione, *tunc*, in substitutione vulgari admittitur extensio de casu expręsso ad casũ nõ expręssum, vt in nostris eisdẽ terminis, qñ. s. testator solũ dixerit, & in casu quo, resoluit *Soc. Iun. cons. 106. nu. 27. vol. 1. expræssè tenent Rip. in l. 1. nu. 109. ff. de vulgar. Paris. cons. 66. num. 65. lib. 3. Goz. ad. cons. 64. in fine Costa, vbi benè cõprobat, in §. & qđ si tãtũ par. 5. nu. 99.* vbi ꝑ illam dictionẽ probat solũmodo excludi casus dissimiles. *Natt. cons. 675. num. 13. Cæphal. cons. 196. nu. 23. Soc. Cranet. Roland. et plures alij, quos refert, & sequitur Mãtic. de cõiect. lib. 3. tit. 14. nu. 10. vers. 3.* vbi iuxtà omniũ sẽtẽtiã resoluit, quod in substitutionibus ex cõiectura volũtatis testatoris, etiam stãte taxatiua, admitti debet extensio de casu ad casum.

Quã sẽtẽtiã probat. *tex. apertus in l. Gallus in princip. ibi tunc si qs mihi hæres &c. iuncto §. & quid si tantũ eiusdẽ legis ff. de liber. & posthum.* vbi Galeaul. nu. 14. Facit quod dictio taxatiua non excludit casus similes, vt est celebris doctrina *glossæ primæ in l. ob æs alienum C. de præd. minor, & est text. optimus in Clementi. exiuit vers. cum autem de verbor. signific.*

Benè verũ est, quod si testator dicat, *tunc, et eo casu*, propter dictiones illas gemi-
56 natas receptior est sẽtẽtia, quod † nõ admittatur extensio, in quibus terminis propriè loquũtur Anch. & supra citati, vt aduertit *Dec. cons. 288. nu. 11. & cons. 315. nu. 4. & sequitur Sforti. Odd. in tract. cõpẽdios. partic. 2. in prælud. q. 3. vers. vlt. & partic. 5. q. 2. vers. fin. & fatetur cõem Cost. vbi sup. nu. 100. Mãtic. d. nu. 10. ĩ princ. et eod. lib. 3. tit. 19. nu. 11. ad finẽ.*

57 Licet, & † in ijsdẽ terminis de cõmuni meritò dubitet *Alciat. lib. 3. de verb. signific. nu. 19.* & cõtra cõmunẽ iudicauerint Domini de Rota, vt refert *Cassad. decis. 1. de test am. in nouiss. per eum congestis*, q̃bus subscribit *Dilectus de arte test an. tit. 1. cautel. 5. ex nu. 3.* qui benè aduertũt prædictas dictiones non esse restrictiuas, sed declaratiuas, imò etsi restrictiuę essent, non debent impedire extensionem ad casum similem iuxta supradicta.

Verum quicquid in ijs terminis dicendum sit, in nostro casu certissimũ est extensionem admittendam esse, cum testatrix tantũmodò vsa fuerit simplici illa dictione, *& in tali casu*, in qua specie omnes fatentur, & negari non potest, extensionem admittẽdã esse iuxta supradicta.

Ex quibus sum in prædicta sententia; salua, quæ melior.

Doctor Emmanuel Rodericus Nauarrus.
In Perillustri Bonon. Gymnasio Profess. Primar.